



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

12. An & quomodo pisces extra aquam viuere, & spirare possint?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

profundum, in ijs locis excavari, inquit, quæ
neque fluviorum, neque calidarum aquarum
habeant fluxus, piscesq; ibi vivos inueniri.

§. XII.

An, & quomodo pisces extra aquam vivere,
& respirare possint?

Sed hinc nascitur altera quæstio, Quo-
modo hi pisces extra suum elementum vi-
uere; & tertia, Quomodo intra terram re-
spirare possint? Ad tertiam facilis est re-
sponso. Si enim (vt aduersarij volunt, &
se demonstrare putant) certius est, pisces
omniño non respirare, nullo aëre ad re-
spirandum indigent. Quòd si autem sub
glacie suffocati pisces ostendunt, illos aëre
indigere, multa dici possunt. Nam sicut
vrinatores spongiam oleo imbutam in os
indunt, quando sub aquis sunt; ita sæpius
vidimus carpionem, panis bolo imposito,
diu extra aquam vivere: si ergo illis spon-
giæ oleum pro aëre, huic panis bolus, pro
aqua esse potest, cur non & frigida terræ
gleba id pisci præstare queat? Deinde:

Quidquid est, ait Plinius, hoc certè minùs Plin. l. 9.
admirabile facit talparum vita, subterranei Nat. hist.
animalis, nisi fortè vermium terrenorum & cap. 57.
piscibus natura est. Siue ergo aëre opus est

F piscibus,

piscibus, possunt in terræ cauernis tantundem habere, quantum talpæ; siue vermium more, suo se succo refrigerant; non necesse est illos terræ insertos statim extinguui. Vidi ego præstantem medicum, qui cùm viperam triduo suspendisset, & suffocatam arbitrans, superinfuso vndiq; gypso, eius lineamenta in modulo exprimere vellet, dissecto, post aliud triduum, jam indurato gypso, proficiente bestia viuua, ac sibilante, & carcerariū suum quærente, periclitatus est. Vidi & ipse viperam, è gypsato sepulchro rediuuiam. Cur non & pisces ad eundem modum aliquamdiu viuere, sub terris possent, qui alioqui diu satis, sine vlla respiratione sub aquis degunt? Denique esto, nihil ibi aquarum, nihil succi, nihil sæpe etiam sit alimenti, facilè concedo, plurimos emori, & in lapides indurescere; quod etiam ipsis plantis, fruticibus & herbis contingit ab arenâ interceptis paulatim lapidescente. Tales pisces, frutices, herbulas in saxis fissis, prope Kelhemium in Bauaria inuentas, mihi olim in Rorensis cœnobij bibliotheca monstratas memini; quamquam vtique monstratas loco monstri. Est enim non solūm.

incon-

inconsumetum, sed etiam naturæ ordini aduersum, vt extra aquam degant pisces, aut vt piscatio in terris institui possit; sicut esset, si aliquis in mari venaretur. Hæc de aquaticis monstris, quæ in dubium vocantur.

§. XIII.

An sint in terris Monocerotes.

Terra quoque fertur alere quasdam portentosas, vel quasi portentosas bestias, quas quidam negant in rerum natura inueniri, & fabulis permixtas rapiunt in quæstionem. Talis bestia est Monoceros, de quo D. Ambrosius ita scripsit: *Cornua quomodo posuit unicornuum, requirendum, cum ipse unicornuus inter generationes ferarum, ut periti aiunt, non inueniatur.* Reddit hoc animal suspectum, quod passim pro fabula habeantur ea, quæ SS. Patres commodè in similitudinem adhibentes recensuerunt. *Rhinoceros iste, ait S. Gregorius, qui & Monoceros in Græcis exemplaribus nominatur, tantæ esse fortitudinis dicitur, ut nulla venantium virtute capiatur, sed sicut hi asserunt, qui describendis naturis animalium laboriosa inuestigatione sudauerunt, virgo ei puella proponitur, quæ venienti sinum aperit, in*

S. Ambr:
lib. 11.

S. Greg.
l. 31. Moral.
c. 13.